

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Reinhard Rus

**Epistola Ad Amicum Qua Rusii In Digressione Apologetica De Descensu Christi  
Ad Inferos contra Celeberrimos Autores Collectionum Continuatarum A  
Cerbissima Expostulatio quam mitissime confutatur**

[Jena], 1730

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81938125X>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn81938125X/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81938125X/phys_0001)

DFG

*F.C. - 1551 1<sup>o</sup>*





EPISTOLA  
AD AMICUM  
QUA RUSII IN DIGRESSIONE  
APOLOGETICA  
DE DESCENSU CHRISTI  
AD INFEROS

contra

CELEBERRIMOS AUTORES  
COLLECTIONUM CONTINUA-  
TARUM  
ACERBISSIMA EXPOSTULATIO  
quam mitissime confutatur.



A. C. 1730.

F C - 155/2.

EPICEREA  
AD AMMEN  
GOU-RUST-UN-DIERSSEN  
APOLOGIE-CAG  
DE DESCRIPTE-CRITICI  
AD INTRICAS  
COLLECTIONUM EDITIONUM  
FASCICULI  
COBRILIAM DEDICATIO  
A. G. 1790



UNIVERSITÄT  
ROSTOCK

# Vir Consultissime.

**D**igressionem Apologeticam Rusii de *Descensu Christi ad inferos* rectissime accepi. Jubes autem, ut mentem meam ediscram, quid sentiam de impotenti ejus in Celeberrimos Doctissimosque Autores *Collectionum Conti- nuatarum* debacchatione. Non desugiam autoritatem tuam, sed prompte obsequar, sine studio partium, uti par est.

Principie autem animus eo convertendus est, penes quem stet veritas. Nihil enim, Paulo judge, possumus contra veritatem, sed pro veritate. 2. Cor. XIII. 8. Idcirco ante omnia considerandum est: (a) num *descensus Christi* fuerit proprius, an metaphoricus? (b) num *inficiatio & oppugnatio* *descensus* proprio dicti cum periculo fieri & Ecclesiae Evangelicae conjungatur?

*DESCENSUM CHRISTI AD INFEROS PROPRIMUM, NON METAPHORICUM* fuisse, Scripturarum testimoniis luculenter constat. Imo tam luculenter, ut Rusius ea non nisi exceptiunculis e ratione haustis, & autoritate paucorum quorundam Doctorum adoriat. E rationis pharetra pag. 32. telum depromit: *difficultates se ita sentire insuperabiles, in primis, quod ita resurrexisset Christus, antequam resurrexisset.* At vero Spiritus Sanctus ipsemet descensum ad inferos interponit inter vivificationem & resurrectionem. *Christus est quidem mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu.* In quo etiam iis, qui in custodia, Spiritibus abiens praedicavit, incredulis olim, quum semel expectavit DEI longanimitas, in diebus Noe, cum appararetur arca; in qua paucae, hoc est, octo animae servatae sunt per aquam. Qui etiam nos antitypus nunc salvos facit baptismus, qui est non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio erga Deum, per resurrectionem JESU CHRISTI, Qui est in dextra Dei, postquam abiuit in coelum, ita ut subjecti sint ipsi angeli, & potestates, & virtutes. 1. Pet. III. 18-22. Apparet manifeste, Apostolum ordine enumerare (1) mortem Christi, (2) vivificationem, (3) descensum ad inferos, (4) resurrectionem, (5) ascensionem in coelum, (6) Sessionem ad dextram, (7) subjectionem Angelorum & potestatem & virtutum. Contra tam clara & perspicua verba Spiritus S. nihil valent difficultates ex humano ingenio confitae. Eas omnes quam facilime superare potest Divinus Spiritus. Ei credendum, ejus autoritate unice standum est. Et qualis est difficultas illa, quam sibi insuperabilem sentit Rusius? Nulla prorsus. Resurrexio Christi in scripturis dicitur, per quam *super pulverem surrexit* secundus sive *postremus* Adam, Redemptor noster, Job. XIX. 25. coll. I. Cor. XV. 45. Per descensum ad inferos autem Christus non stetit super pulverem, sed in inferno triumphavit. Sic etiam Hoseas vivificationem a resurrectione distinxit.

xit: *Vivificabit nos post triduum, in die tertio faciet, ut resurgamus, & vivemus coram ipso.* Cap. VI. 2. Manemus sane plerique diutius in morte, quam per triduum. Sensum ergo esse oportet: Post triduum nobis vitam sua vivificatione acquireret Jehova. Die tertio resurrectione sua acquireret nobis resurrectionem. Ita vivens coram ipso in aeternum, perinde ac ipse a morte surrexit, vivit & regnat in aeternum. *Quod autem p. 52. urget, Ps. CXXXIX. 15. per inferiora terrae notari conceptionem & nativitatem hominum.* I. Sam. II 6. *per infernum omnis generis calamitatem; nec non Ps. CXXX. 1. LXXI. 20. LXII. 10.* illud non obstat, quo minus Paulus Eph. IV. 9. ipsum infernum proprie dictum designet. Quemlibet enim Scripturae locum ex circumstantiis suis perpendi decet. Jam vero Paulus descensionem in inferiores partes, quam est terra, id est, in infernum, in quo status est inferior & deterior omni statu, qui in hac terra infelicissimis miserrimisque evenire potest, ita interpretatur, ut cum adscensione in coelos conjungat. Atqui adscensione in coelos proprie facta est, non metaphorice. Ergo etiam descensus Christi ad inferos. *Quod ad autoritatem paucorum Doctorum attinet, claris Scripturae dictis frivole opponitur.* Universos enim doctores antiquos & novos subjici oportet auctoritati Spiritus Sancti. Deinde fatetur, pauciores esse, qui secum faciunt, p. 101. Recte igitur hoc accommodaverimus Hieronymi illud ad Evagrium T. II. Op. pag. 329. ita variatum: *Si autoritas quaeritur, tota Ecclesia Evangelica & plusquam mille Doctorum veterum & recentiorum consensus major est tribus vel quatuor Doctoribus.* Pelargus in scriptis Patrum haud perfunditorie versatus testatur, **TOTAM SEMPER ANTIQUITATEM** rejecisse metaphoricum & allegoricum sensum descensus Christi ad inferos, adductis simul testimoniis Ignatii, Athanasii, Hieronymi & Augustini: Expositione Actuum Apostolicorum p. 29. Praeterea ne unicus quidem Theologus plene & certo cum Rusio consentit. De Sacerio non constat, an in explicatione sua descensus ad inferos perfisterit, an vero ab eo discesserit iterum, rectiora agnosca, quod valde credibile. Brentius secundum descensum non de passionibus in cruce, sed de sepultura in terra, explicat, ut videretur prorsus interisse. Flacius & Aepinus Christum descendisse vere & proprie docent, sed in eo humani aliquid committunt, quod in inferno Redemptorem adhuc aliquid passum sibi persuadent. De Graweri Praelectionibus in Augustanam Confessionem Rusius ipsem indicat, haud omnia in hoc libro ex autographo Autoris probari posse. *Num (inquit) omnia propria autoris manu designata sint, an quaedam dictata solummodo auditorum calamo excepta, non quaeritur jam.* pag. 40. Quid ergo, si auditores non omnia recte assecuti sunt? Imo verisimile prorsus non est, Grawerum sententiam, quam libri Concordiae esse p. 511. diserte profitetur, ulli alii posthabiturum, vel etiam picturam a B. Luthero approbatam absurditatis postulaturum fuisse. Injuriis sunt in famam B. Graweri, qui talia sibi de eo imaginantur: adeoque falsatas & interpolatas esse praelectiones istas post mortem ipsius editas necesse est, morali mini num necessitate.

IN.

*INFICIATIONEM DESCENSUS AD INFEROS ET OPPUGNATIONEM EJUS CUM PERICULO FIDEI ET ECCLESIAE CONFLINGI* patet, quia (1) autoritatem Scripturae laedit, (2) omnibus articulis fidei pervertendis ansam praebet, (3) Christo gloriam suam detrahit, (4) gubernationi Ecclesiae fulcrum auterit, (5) ingens solatium mobis eripit, (6) viam sternit ad perjuria, ad perrurbationem infirmorum, ad alia peccata, (7) Calvinismo patrocinatur. Nec Rusianae exceptiones quicquam ponderis habent. Generatim obvertit, haec etiam Sarcerio, Brentio, Grawero adversatura. Magnum autem discrimen intercedit. Qui enim articulum hunc ad passionem olim retulerunt, fecerunt illud, antequam Formula Concordiae esset composita, fecerunt etiam, antequam res ita esset ad liquidum perducta ex Scripturis, & universae difficultates sic sublatae, uti nunc sunt. Rusius autem negat & oppugnat contra fidem datam Formulae Concordiae, negat & oppugnat monitus a superioribus aliisque, negat & oppugnat cum odio & insectatione eorum, quibus veritas cordi est. Generatim etiam reponit, Foertschium, Buddeum, Danzium, sententiam ipsius non tam periculosam existimasse. Quae vero ex Virorum horum responsis adducit, ei non admodum sunt honorifica, ut prudentius fecisset, si ea non p. 44. 45, 46, 47. evulgasset. Quamvis non panca etiam ex Buddei responso suppresserit, quod nimis sibi ea dedocori esse intelligeret. B. Foertschius testatur, er wisse nun bey sothaner Eilung nicht mehr zu sagen. Postridie enim jussu Dominorum Delegatorum itineri se accingentium responsa exhibenda erant. Quod si vero adhuc esset in vivis, ac cerneret, quam hostili odio veram doctrinam Rusius insectaretur, graviter eum depexum daret. Buddeus scribit: *Die beeden quaestiones konten gewisser massen* pro problematicis haberi. Id parum facit pro Rusio, nam eo quo ipse modo, disputat, non sunt habendae tales, de quibus in utramque partem disputare liceat. Circa quaestionem de Sabbato monet, *se certum de eo esse, diem dominicum non juris Ecclesiastici, sed divini esse, & si quis aliter senserit, eidem ADMITTENDAS FORE OMNES CONSEQUENTIAS ILLAS, quae in Disput. Strykiana contineantur.* pag. 8. Igitur Rusium virum Ecclesiae pericolosissimum censuit, quandoquidem junioris Strykii illa disputatio non modo Orthodoxorum, sed & Pietistarum judicio plena impietatis est. B. Danzius satis indicat, per Rusianam sententiam *novos in Ecclesia motus* excitari. Quod Jo. Musaeus Grawerianam suo loco reliquit sententiam, p. 43. parum ad rem facit. Multis enim in rebus tepidiorem se praebuit, quam e re erat Ecclesiae Evangelicae, & prae nimia festinatione, qua in suis scriptis elaborandis utebatur, non animadvertisit, Graweri praelectiones interpolatas esse.

Sigillatum regerit ad (1) de hoc utique adhuc esse dispendendum, an in unico Sacrae Scripturae loco reperiatur ille descensus verus, proprio dictus, ac realis pag. 50. se nondum solerter licet inquirentem reperire valuisse, Christum post mortem atque sepulturam vivum gloriose descendisse ad inferos, p. 81. Cur igitur dicta Scripturae, quibus descensus proprius Christi ad inferos firmatur, non ordine *ex textuum visceribus*

ribus explicuit, sed ubique ad Graverum & paucos alios Theologos se recepit, in eorum autoritate latebras quaesituras? Secundum Rūsanam methodum Sociniani etiam & Judaei gloriari possent, se in Scripturis reperire non valuisse, Messiam esse verum Deum, & pro peccatis totius generis humani satisfecisse. Imo tam manifesta sunt Scripturarum testimonia, ut Rūsius necesse habuerit eo confugere, interpunctiones Novi Testamenti Graeci non esse Divinae auctoritatis, p. 74, 75. Ubi frustra provocat ad Apoc. II. 4, 5, 6. cum interpunctiones ibi nullum incommodum secum ferant. Frustra etiam urget, Robertum Stephanum Novum Testamentum in versus fecuisse. Numeros enim tantummodo 1, 2, 3, 4. &c. adscripsit secundum interpunctiones in Graeco codice occurentes. Cicero testatur, jam sua aetate Graecos κόμματα & κώλα habuisse, in *Oratore ad Brutum* haud longe a fine. quis ergo dubiter, Spiritum Sanctum in Graeco N. T. in quo de rebus ad aeternam salutem pertinentibus nos erudire volebat, signa distinctionum adhibuisse? Post inventam autem typographiam, Florentiae A. 1488. Homerus in folio prodiit, accentibus & signis distinctionum instructus: qui fuit codex primus alicujus momenti Graece impressus. Multo magis ergo Roberti Stephani aetate Editiones N. T. jam extiterunt iisdem armatae.

Ad (2) regerit, fatente Snitlingio descensum ad inferos αὐτολεζει non legi in sacris. pag. 51. Quod si vero id fateretur scriptor allegatus, quid tum? Nec Rūsi, nec Snitlingii pronuntiatis veritas aestimanda est. Dico itaque & firmiter statuo, ipsis verbis descensum ad inferos in sacris literis extare. Eph. IV. 9. 10. Evoluti autem Snitlingium pag. 25. iteratae vindicationis, nec cum, sed Sebastianum Schmidium ita pronuntiasse vidi, cui ut repugnaret, necesse non erat. Etsi vero magnus iste apud Argentoratenses Scripturarum interpres in Exegeſi nunquam satis laudari potest: tamen nunquam postulavit, ut ei in omnibus assentiremus. Incolumi igitur ipsius autoritate hac in parte ab eo discedimus, & ipsis verbis hunc articulum in Scripturis legi ex Eph. IV. 9, 10. afferimus & probamus.

Ad (3) regerit, Coloss. II, 15. de victoria agi ἐν αὐτῷ (σαυρῷ) reportata, p. 53. At vero haec sibi non adversantur. Nam vi metiti pro nobis in cruce praefiti de universis potestatibus infernalibus in descensu ad inferos gloriose triumphavit. Probe etiam observandus ordo ab Apostolo adhibitus. Nam. v. 14. docet, *Chirographum, quod nobis erat contrarium, affixum esse cruci:* v. 15. sequitur effectus triumphatorius, in inferno publice demonstratus. Universa haec gloria relinquenda est Christo: nulla ejus pars ipsi auferenda vel deneganda.

Ad (4) nihil ex Textu Eph. IV. 9. 10. regerit, sed p. 54. 55. autoritatibus meritis pugnat, quas tamen autoritati Pauli submitti necesse est.

Ad (5) excipit, Lutherum de obscuritate loci I. Pet. III. conqueſtum. Quid tum? Sufficit, Lutherum nobiscum descensum Christi ad inferos proprium, verum & realem statuere, & errorem oppositum magno zelo Satanae tribuere, T. 6. Jen. fol. 78. Et quamvis in hoc loco sit aliqua obscuritas, ea tamen non obstat,

qua

quo minus clare & luculenter inde pateat, Christum vere & realiter descendisse ad inferos post vivificationem. Cur autem eorum, qui Noae aetate non crediderunt, sigillatum mentio fit? Resp. Propterea, quod tunc diluvium orbem obruerit, & tempora Noae nobis imaginem praebant ultimorum ante extremum judicium temporum, Luc. XVII. 26. 27. Tanta erat tunc incredulitas per totum orbem terrarum, ut octo solummodo fideles existerent, cum hic justitiae Christi Praeco arcam ingredetur. 1. Pet. III. 20. coll. 2. Pet. II. 5. His igitur Filius Dei in descensu ad inferos peculiariter (reliquis tamen damnatis haud quam exclusis) terrificam concessionem illam habuit, sicut in extremo judicio Antichristum Romanum peculiariter judicaturus est. 2. Thess. II. 8. Regerit practerea Rusius, se fateri, quod *Christus triumphum de Satana egerit in vivificatione, resurrectione & ascensione.* pag. 57. At vero nec eam nobis consolationem eripere debet, quam ex descensu ad inferos adipiscimur. Nam Apostolus descensum Christi ad inferos etiam nobis proponit, ut *consolationem habeant corda nostra, & in Christo ambulemus firmati in fide.* Coloss. II. 2. 7. coll. v. 15.

Ad (6) reponit, *Grawerum non violasse datam Formulae Concordiae fidem.* pag. 80. Ubinam vero dicitur in scripturis, Christum a perjurio pronuntiaturum immunem, qui ad Graweri exemplum se recipiat? Grawerus tunc pro se, non pro aliis causam dicet. Quod autem ad Grawerum attinet, supra jam evici, Praelectiones ejus esse falsatas & interpolatas. Immunis igitur a perjurio est. Si quis autem, qui Formulam Concordiae jurato probavit, descensum Christum proprie dictum neget, nec ab aliis monitus negare desistat, is quomodo perjurii labem coram Deo effugiat, videat ipse. Quod ad Augustanam Confessionem attinet, frustra se macerat, in exemplari Latino non legi ITEM, sed IDEM clamitans, pag. 79. Utrumque enim exemplar cum Latitum tum Germanicum descensum Christi ad inferos a passione, crucifixione, morte & sepultura palam distinguit. Perturbatio Ecclesiae non potest non insequiri, quando Laici audiunt, articulum de descensu Christi ad inferos, quem ex Catechismo didicerunt, everti. Et quamvis in Catechismo majore Lutheri articulus hic non ex instituto explicetur, in concessionibus tamen Cathechetis, in quibus Lutherus partes articuli secundi sigillatum tractari jubet p. 495 descensus Christi ad inferos Auditoribus enucleandus est.

Ad (7) regerit, se per DEUM omniscium contestari, quod ab omnibus Calvinianorum erroribus sit alienus, pag. 78. Utinam! sed proh dolor protestatio est factio contraria. Si alieno esset animo ab OMNIBUS Calvinianorum erroribus, etiam hunc de metaphorico descensu nequaquam palliare. Etenim *Calviniani descendimus ad inferos proprie ita dictum negant*, teste Calovio in *Synopsi controversiarum juxta Augustanam Confessionem* pag. 82. Unde iis pag. 81. hanc thesin opponit: *CHRISTUS* vere ac realiter descendit ad inferos, isque descensus a passione, morte, sepultura & humiliatione Christi universa distinctus est. Sic etiam Rusius pag. 62. Joh. Musaci verba commendat, quibus de plororumque Calvinianorum sententia, qui

*qui de doloribus infernalibus accipient descensum, pronuntiaverit, nihil incommodi eam habere.* Unde intelligi potest, quam prono sit ad Calvinianos errores excusandos animo, dummodo aliquem haud recte praeeuentem nanciscatur. *Quod Christus improprie dicatur vitis Joh. XV. 1. seqq. ex toto contextu patet.* Descensum autem ad inferos metaphorice intelligendum, mera petitio principii est, Calvinianorum & Rusii ingenio, non autem circumstantiis Sacrorum textuum superstructa.

Sic igitur abunde constat, Vir consultissime, Christum proprie ad infernum descendisse, & inficiationem & oppugnationem hujus articuli cum gravi periculo fidei & Ecclesiae Evangelicae conjungi. Quid jam peccarunt Celeberrimi *Collectionum Continuatarum* Autores? Veritatem divinam professi sunt, Rusianum errorem rejecerunt. Rectissime. Ita sacrae literae, ita pectora eorum Deo & veritati sacrata postulavere. At conqueritur pag. 20. Rusius, scripsisse eos, quod privatam admonitionem non suscepisset. Nonne autem satis superque admonitus est? Ipsi emet commemorat, pag. 11. es sey zu Anfang des 1717. Jahrs von Gotha aus ihm ein Gerücht zu Ohren geftommen / ob desiderirte man was an seiner Doctrin, und mögten diese Puncten wohl darunter gemeynet seyn. Quinquennio post Serenissimorum Delegati Theologis Jenensibus injunxerunt, ut suam de hypothesibus ejus sententiam scripto consignarent, Universa tunc Facultatis Membra ita responsum suum adornarunt, ut Rusius agnoscente quam facillime possit, ipsis novaturientem ejus animum minime probari. Omnium mitissime pronuntiavit quidem Foertschius, sed satis monuit eum, quid factum opus esset, verbis illis, von Enthaltung aller Unzüglichkeiten und Singularitäten pag. 44. Ulterius conqueritur, se haberit autorem rixae hujus publicae, qua turbetur Ecclesia, pag. 21. Quis vero alias autor rixae, quam ipse, qui per viginti duos annos istam articuli de descensu ad inferos depravationem secundum pag. 5. 6. auditoribus suis instillavit? Conqueritur, Tomum 2. Harmoniae suae frigide recenseri, p. 105. Ägre adeo fert, non satis laudari operam suam. Satis arroganter! Sciat autem, multo graviorem censuram promeritum. Conqueritur, testimonium iteratae vindicationi perhibitum, daß Lutherus gründlich gerettet worden. p. 108. Abunde autem defensus Megalander, dum propriis ejus verbis ostensum, quanto Zelc articulum hunc usserit, adversam sententiam Satanae tribuens. Conqueritur, *judicium de Zeltnero latum* veritati consentaneum censeri, p. 283. neque tamen id ullius falsitatis convincit. Suspicatur, ipsum esse Snitlingum *recensionis autorem*. Quinam vero in recensionibus concinnandis elaborent, ex Praefationibus constat. Praecipue recensionum illarum ἐγγράφων lacescit pag. 112. Sed Venerandi illius Praesulis major est in Ecclesia & orbe literato celebritas autoritasque, quam ut impotens Rusii debacchatio ei detrimenti quidpiam afferre queat. DEUS eum magno Ecclesiæ bono quam diutissime servet! Vale, Consultissime Vir, & prolixiorum paulo epistolam boni consule.










Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn81938125X/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81938125X/phys_0016)





luculenter inde pateat, Christum vere & realiter descendisse ad  
tionem. Cui autem eorum, qui Noae aetate non crediderunt,  
? Resp. Propterea, quod tunc diluvium orbem obruerit, &  
s imaginem praebeant ultimorum ante extremum judicium tem-  
26. 27. Tanta erat tunc incredulitas per totum orbem terra-  
modo fideles existerent, cum hic justitiae Christi Praeco ar-  
t. Pet. III. 20. coll. 2. Pet. II. 5. His igitur Filius Dei in de-  
cūliariter (reliquis tamen damnatis haud quaquam exclusis) ter-  
rillam habuit, sicut in extremo iudicio Antichristum Romanum  
is est. 2. Thess. II. 8. Regerit practerea Rusius, se fateri, quod  
e Satana egerit in vivificatione, resurrectione & ascensione, pag.  
cam nobis consolationem eripere debet, quam ex descensu ad  
Nam Apostolus descensum Christi ad inferos etiam nobis pro-  
em habeant corda nostra, & in Christo ambulemus firmati in fide.  
l. v. 15.

, Grawerum non violasse datam Formulae Concordiae fidem.  
ero dicitur in scripturis, Christum a perjurio pronuntianturum  
averi exemplum se recipiat? Grawerus tunc pro se, non pro  
Quod autem ad Grawerum attinet, supra jam evici, Prae-  
fatas & interpolatas. Immunis igitur a perjurio est. Si quis  
Concordiae jurato probavit, descensum Christum proprio  
aliis monitus negare desistat, is quomodo perjurii labem co-  
eat ipse. Quod ad Augustanam Confessionem attinet, frustra  
lari Latino non legi ITEM, sed IDEM clamitans, pag. 79.  
plar cum Latinum tum Germanicum descensum Christi ad in-  
fixione, morte & sepultura palam distinguit. Perturbatio Ec-  
insequi, quando Laici audiunt, articulum de descensu Chri-  
x Catechismo didicerunt, everti. Et quamvis in Catechismo  
s hic non ex instituto explicetur, in concionibus tamen Cat-  
herus partes articuli secundi sigillatim tractari jubet p. 495  
feros Auditoribus enucleandus est.

se per DEUM omniscium contestari, quod ab omnibus Calvi-  
nienus, pag. 78. Utinam! sed proh dolor protestatio est fa-  
to effet animo ab OMNIBUS Calvinianorum erroribus, et  
eo descensu nequaquam palliaret. Etenim Calviniani descen-  
sa dictum negant, teste Calovio in *Synopsi controversiarum*  
effonem pag. 82. Unde iis pag. 81, hanc thesim opponit:  
aliter descendit ad inferos, isque descensus a passione, morte,  
e Christi universa distinctus est. Sic etiam Rusius pag. 62.  
mendat, quibus de plerorumque Calvinianorum sententia,  
qui